# De grammaticæ latinæ locis aliquot controversis.

## Part. I.

Programmatis edendi munus, quod scio quam leve videatur doctioribus et intellegentioribus, non libentissime suscepisse me ingenue et candide profiteor. Nam paratum et propemodum confectum commentariolum, quod brevi prelo posset subici, non habebam neque profecto ego umquam is fui aut ero, qui, si quid observaverim, excogitaverim, reppererim, id omne illico litteris consignandum et vulgandum arbitrer. Suscepi tamen, ne cui parti officiorum, quæ cum munere præceptoris publici coniuncta sunt, viderer deesse neve in conlegarum benevolorum mihique amicissimorum reprehensionem incurrerem. Cum autem ita ferat programmatum edendorum institutum, ut qui proximo anno se aliquid publici iuris facturos profiteantur, statim de quo scripturi sint, indicare debeant, prolusionis meæ hanc vulgari iussi inscriptionem «De grammaticæ latinæ locis aliquot controversis»: nimirum in hoc latissimo campo me facile noveram inventurum, quæ neque a meorum studiorum ratione essent aliena et satis digna, de quibus scriberem. Et inveni haud pauca; sed plura et maiora cum molirer, uno loco, qui pertinet ad syntaxin, diutius tenebar quam putaram atque in eo etiamnunc mihi consistendum esse intellexi. Est autem is locus «De nominibus substantivis sola præpositione inter se copulatis» sive «De ea structura, qua substantiva ex præpositionibus apta pro attributis ponuntur». Quapropter si quis mihi crimini vertat, quod promisso meo non prorsus satisfecerim et inscriptione illa maiorem quam par fuerit exspectationem moverim, veniam mihi petendam esse probe sentio. Sin autem erunt qui putent eum locum, quem mihi sumpserim, nihil habere dubitationis aut controversiæ omniaque, quæ ad eum pertineant, virorum doctorum curis dudum ita fixa esse et stabilita et in perpetuum rata, nihil ut possit demi aut addi aut verius dici, hos si commentationem meam perlegere atque examinare in animum induxerint, secus existimaturos confido. Qui iidem si id mihi laudis tribuerint, ut concedant me, hominem si non omnino alienum a litterarum studiis, ad scribendum tamen pigerrimum et semper cessatorem ac ne litterula quidem viris doctis commendatum, non prorsus invita, quod aiunt, Minerva operam navasse, sed aliquantulum ad huius loci notitiam promovendam attulisse, satis amplum laboris mei fructum mihi videbor percepisse.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sed iam ad rem propositam adgrediar; quam attigerunt multi nec facile præterire poterat quisquam eorum, qui grammaticam latinam et artem ornate latine scribendi se tironibus tradituros profiterentur, separatim tamen ab aliis grammaticæ locis qui tractaverit atque uberiore disputatione illustraverit neminem reperio præter Hænischium. Is annis fere abhinc quinquaginta programmata [1]) edidit duo, quæ inscribuntur «Ueber die Verbindung der Nomina substantiva durch Præpositionen in der lateinischen Sprache», quibus demonstrare studet et meo quidem iudicio luculentissime evincit structuram illam, qua substantiva cum præpositionibus coniuncta attributi vices sustinent, multo latius patere quam plerique existiment nec obtineri posse quod vulgo statuant, abhorrere eam et a latinæ linguæ natura et indole et a meliorum scriptorum usu. Eorum enim fere omnium, qui superiore ætate hanc dicendi consuetudinem attigerant, hic communis fuit error, ut nimis severis legibus eam astringerent. Ex quo numero in primis fuerunt Bonellius [2]), Schulzius [3]), Klotzius [4]), Handius [5]), viri in litteris latinis non mediocriter versati, quos si audias, ne illi, qui non summopere ab huiusmodi dictione caveant, prope barbari sint existimandi et ab ornatæ elocutionis ratione remotissimi. In eodem errore versatur Reisigius [6]); quod non fugit Haasium [7]); verum Haasium ipsum non multum ab eadem severitate vel dicam anxietate, quam in Reisigio reprehendit, abfuisse, conligo ex illius scholis latinis de lingua latina habitis, quas Ecksteinius et Peter edendas curaverunt [8]). Verius iam ante Hænischium iudicaverant Dietrichius [9]) in censura Antibarbari Krebsii et Rothius in Excursu XXV ad Taciti Agricolam. Paullo post Teipelius [10]), Naegelsbachius [11]), Seyffertus [12]), Bergerus [13]), Suepflius [14]), alii sententiam ab Hænischio propositam assensu suo omnino probaverunt atque suis observationibus firmaverunt nec hodie sane verendum est, ne locutiones «Ciceronis epistola ad Lucceium, puer de trivio, societas cum libertis», ceteræ id genus tamquam spurcæ vel certe ornata oratione indignæ notentur.

Jam vero qui diligentius omnia, quæ ad hanc quæstionem pertinent, investigare studeat, quæque in grammaticorum libris statuuntur accurate examinet et quasi ad vivum resecet, haud pauca inveniat, quæ nimis festinanter a viris doctis tractata subtiliorem desiderare videantur disquisitionem. In quibus est locus huic disputationi maxime necessarius: de conlocatione huiusmodi attributorum, quem miror ab Hænischio plane esse prætermissum. Per peram olim Reisigius [15]) hanc proposuit normam: cum attributi, quod constet ex præpositione et substantivo, triplex omnino usurpari possit conlocatio — posse enim id substantivo, ex quo suspensum sit, aut præmitti aut postponi aut, si alterum attributum adiciatur, interponi, — optimos scriptores maxime interpositione usos esse, sin minus, attributum ante substan-

---

1) Alterum programma, quod ingressionis loco est, prodiit Ratiboriæ anno 1835, alterum ibidem triennio post.

2) Vide quæ contra Bonellium disputat Hænischius I p. 4.

3) O. Schulz, Ausführliche lat. Grammatik für die oberen Klassen gelehrter Schulen, §. 72, 2—3

4) Cf. eius adnotationes ad Cic. Tusc. II, 1, 2 et II, 3, 7 et quæ contra disseruit Kühnerus ad alterum locum in sua Tusculanarum editione.

5) F. Hand, Lehrbuch des lat. Stils, Jena 1839, p. 157; cf. etiam quæ dicit de usu præpositionis de Turs. II, p 202 et ibidem p. 214.

6) K. Reisig's Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft, herausgegeben von Friedr. Haase §. 341.

7) Cf. eius adnotationes 512.

8) Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft von Fr. Haase, Bd. II p. 207.

9) Zeitschrift für Alterthumswissenschaft, Darmst. 1837. N. 44.

10) Cf. eius censuram grammaticæ a Zumptio editæ. Neue Jahrb. f. Phil. u. Pæd. VIII 1838, p. 219.

11) Lat. Stilistik 17. Aufl. p. 229—235.

12) Palæstra Ciceroniana c. III p. 24; Schol. Lat. II, §. 73.

13) Lat. Stil. §. 55.

14) Practische Anleitung II, §. 145.

15) Vorlesungen etc. §. 341.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tivum regens conlocasse, illam autem conlocandi rationem, qua attributum substantivo postponatur, omnino evitari neque fere reperiri nisi in inscriptionibus aut in breviata oratione, abesse ab elegantioris sermonis perpetuitate, eiusque rei causam repetit ex perspicuitatis studio; quippe postposito attributo, si verbum accedat, sæpenumero fieri non posse quin ambiguitas nascatur. (Similia docet Ramshornius (Gr. lat. II §. 151.) Quod ut ita se haberet, fatendum esset, locupletissimos latinitatis auctores non multum perspicuitatem orationis curasse. Neque vero ad perspicuitatis studium, sed ad Græcorum imitationem interpositio huiusmodi attributi est revocanda, quod cum dilucide expositum sit a Nægelsbachio gravioris confirmationis non indiget. Plerique autem satis habent monuisse, interpositionem attributi esse usitatissimam et elegantiori sermoni maxime accomodatam[1]). In unum adeo me incidere memini grammaticum, qui tirones doceat præstare ab huiusmodi attributi usu omnino abstinere, nisi altero attributo addito interpositionis copia detur. Atqui ut concesseris, quod nemo sanus negaverit, scriptores latinos in huiusmodi locutionibus usurpandis sæpissime interpositione usos esse, atque ut illud maneat, quod docet Zumptius[2]), interpositionem eo commendari, quod eius auxilio attributum arctiore nexu cum substantivo regente coniungatur et quasi in unam notionem coalescat, tamen plura sunt attributorum genera, in quibus optimos auctores hanc interpositionem ita non observaverunt, ut contrariam rationem secuti esse videantur. Certe contra est in frequentissimis illis locutionibus, quæ pro genitivo partitivo ponuntur, veluti «unus ex meis intimis, omnes ex omni ætate, ex omni nobilitate nemo»; idem fere dici potest de definitionibus attributivis,quæ materiem significant, ut «pocula ex auro», «signum ex aere» et de eis, quibus substantivum cum præpositione „sine" coniunctum vicibus adiectivi fungitur, ut «vita sine amicis, fides sine ratione, animus sine corpore»; etiam „cum" adiecto substantivo de vestitu usurpatum sæpius fere substantivo regenti præmittitur vel postponitur, quam interponitur.

Sunt etiam alia huic loco necessaria aut finitima, quæ in disceptationem vocentur; quin etiam nonnulla virorum doctorum decreta qui diligentius excutiat et certo iudicio ponderet, prorsus reicienda esse facile sibi persuadeat. Quod cum iam eo tempore, cum in huius commentationis initiis ponendis occupatus essem, mihi perspicere viderer, ne quid ipse temere statuerem, sed in promptu haberem, quibus si a vulgari opinione esset discedendum vel tralaticio errori occurrendum, sententiam probarem meam, veterum scriptorum libris perlegendis et perscrutandis aliquanto uberiorem exemplorum materiam et copiam mihi parandam esse intellexi, quam grammaticorum libri, quibus uti licebat, suppeditabant. Ex quibus qui copiosius hac de re disseruerunt, Bergerus[3]), Suepflius[4]), Kühnerus[5]), cum quædam genera constituerint locutionum adverbialium, quæ meliorum scriptorum usu firmatæ sint — in quo ipso Hænischium[6]) maxime secuti videntnr — satis habent singulis generibus dena aut duodena exempla apposuisse. Hænischius autem, qui omnium maximam copiam congessit, veris ac iustis exemplis sæpius falsa aut dubia immiscuit: cui accidit quod multis, qui, si quid recte viderunt, id nimis augendo et cumulando in errorem rapiuntur. Nam quod in Cæsaris loco (B. G. 5, 49) «trans vallem magnam et rivum multitudinem hostium conspicatur» verba «trans vallem magnam et rivum» cum obiecto enuntiati «multitudinem hostium» iungenda esse censet, id vereor ut cuiquam persuadeat, certe mihi non persuasit. Neque magis mihi probari potest, quod huc pertinere putat quod scriptum videmus Cæs. B. G. 6, 9 et 7, 44 „Qua esset aditus ad alteram oppidi partem"; eo enim loco substantivum „aditus" et verbum «esset» in unam notionem coalescunt et idem fere significant quod «adiretur» sive «adiri posset» ad eamque

1) Cf. Seyffert Pal. Cic. p. 25, Schol. lat. II §. 73.
2) Lat. Grammat. §. 793.
3) Lat. Stil. §. 55.
4) Pract. Anleitung II, § 145.
5) Ausführliche Grammatik der lat. Sprache, II. Bd. 1. Abth. §. 58.
6) l. l. II p. 28—29.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

verborum coniunctionem, non ad substantivum «aditus» referenda sunt verba «ad alteram oppidi partem». Similem rationem esse apparet horum locorum: Cæs. B. G. 3,13 [1]). «Cum his navibus nostræ classi eiusmodi congressus erat»; Cic. Fam. 10, 17 [2]) «Ad omnia pericula princeps esse non recusavit.» Neque ego inter certissima exempla, quibus probetur substantivum simpliciter per præpositiones coniungi, hæc Ciceroniana numeranda existimaverim: «Ad tuam ipsius amicitiam facilem aditum habet nequitia et audacia» (Verr. III, 4, 7) [3]); aut «Dux isti quondam et magister ad spoliandum Dianæ templum fuit» (Verr. III, 21, 54) [4]). Nam his quoque locis omnibus ea verba, quæ attributi vices sustinere censet Hænischius, pendent ex verborum coniunctione vel pertinent ad totum enuntiatum; atque etiam si ad substantivum referenda aut propius spectare existimes, tamen verbo addito ita adiuvantur et fulciuntur, ut pro vero attributo haberi nequeant. Mitto alia exempla, quæ falso huc pertinere putat Hænischius [5]).

Itaque ut firmiora disputationis meæ iacerem fundamenta, consilium cepi eius scriptoris, cuius auctoritatem in legibus generalibus constituendis grammatici suo iure maxime sequuntur, Ciceronis, opera, quæ exstant, omnia diligentius perlustrare omnibusque, qui huc pertinent, locis notandis et conligendis et inter se comparandis ac generatim distribuendis quam plenissimum mihi parare idoneorum exemplorum conspectum; in qua parte opellæ meæ egregium mihi præsto erat adiumentum Lexicon Ciceronianum a Merguetio [6]) summa cura ac diligentia confectum: quamquam monitus iis, quæ Handius [7]) dicit in Tursellini sui prooemio, non ea cura mihi supersedendum putabam, ut singulos locos a Merguetio allatos in libris Ciceronianis ipse inspicerem et accurate perpenderem [8]). In animum autem induxeram, omnes aureæ, quæ vocatur, ætatis scriptorum libros, excepto Livio, excutere, sed verebar, ne cumulatius hoc munus augendo terminos huic programmati concessos excederem. De Livio non cogitabam, quippe quem cum in aliis rebus tum in hoc substantivorum per præpositiones iungendorum usu ab antiquiorum scriptorum consuetudine longius recessisse atque propemodum nimiam sibi sumpsisse licentiam ad unum omnes consentiant. Huius autem Ciceronianorum locorum conspectus, de quo dixi, delectum iam in medium proponam eoque sic utar, ut adnotationibus et brevioribus excursibus singulis attributorum generibus adiectis si quæ gram-grammatici prætermiserunt, quæ ad hunc locum inlustrandum pertineant, addam, quæ vere monuerunt, strictim attingam, quæ graviore confirmatione egent, accuratius explanem, si quæ autem falso statuere videantur, audacter impugnem.

In deligendis locis id inprimis secutus sum, ne quod singulare attributi specimen,

---

1) Hænisch II, p. 13.
2) Hæn. II, p. 10.
3) Hæn. II, p. 9.
4) Hæn. II, p. 10.
5) Adiecto autem verbo aliquo substantivi ex præpositione apti relationem persæpe obscurari non præterit Hænischium; et suo iure affirmat, satis magnam esse locorum copiam, quibus quo referri voluerit scriptor substantivum cum præpositione iunctum certa ratione numquam evinci possit. — Handius (Stil. p. 158), quem supra dixi angustissimis hunc totum usum terminis circumscripsisse, falso hanc quasi normam et legem de substantivis per præpositiones copulandis statuit, ut verbum subiungatur pro adminiculo. Idem vehementer errat, quod verbum quodlibet substantivo cum præpositione alteri substantivo addito adiumento esse affirmat. Nec satis mirari possum, quod eo loco, qui est apud Ciceronem Off. III, 21, 80 «In ore semper græcos versus de Phœnissis habebat» verba «de Phœnissis» fulciri putat verbo enuntiati; sunt enim sine controversia iustum ac legitimum attributum substantivi «sensus» neque verbum enuntiati quidquam affert ad eam verborum coniunctionem iuvandam.
6) Lexicon zu den Reden des Cicero von H. Merguet. Jena 1877—84.
7) Turs. I p. XVI.
8) In libris Ciceronianis percensendis eorum scriptorum reliquias, quæ cum illius operibus vetere instituto una edi solent, Cornificii, Bruti, Cælii, reliquorum Ciceronis familiarium me non prætermisisse vix est quod moneam.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cuius auctoritas a paucis exemplis penderet, nedum totum genus — quod tamen nonnullis accidisse video — prætermitterem. Tum id egi, ne exempla afferrem nisi certissima. Si quæ sunt, quae dubitationem moveant aut propter ambiguam verborum relationem aut propter incertam scripturam aut aliam ob caussam, suo loco monui nec dubia exempla pro iustis ac veris venditavi.

Genera attributorum, quae constant ex praepositione et substantivo, haec novem constituere visum est: Primum genus erit eorum, quae substantivis obiecti instar adiciuntur; secundum eorum, quae genitivi partitivi sive totius, qui vocatur, vices sustinent; tertio generi ea ascripsi, quae originem significant, quarto comprehendi eas locutiones, in quibus praepositiones «in, ad, propter», aliae locali notione usurpantur ad quietae rei statum indicandum, quinto, quae motum in aliquem locum directum aut finem et effectum significant, sexto, quae temporis notionem habent; septimo continentur attributa, quibus praepositiones «cum» et «sine» substantivis iunctae sunt, octavo locutiones, in quibus praepositio «de» adiecto substantivo argumentum et materiam indicat, veluti „libri de finibus, locus de moribus, de animo sententiae"; nono complexus sum substantiva per praepositiones „contra, per, inter" copulata et si quae dictiones propter peculiarem praepositionis notionem superioribus generibus parum commode accenseri poterant.

Ad definitiones attr butivas, quae constant ex praepositione et substantivo, cum proxime accedant casus quidam suhstantivi pro attributis positi, his quoque in eo quem descripsi generum conspectu locum adsignandum putavi. Itaque eos locos, quibus ablativus nominum urbium vel insularum omissa praepositione „ab" aut „in" attributi vicibus fungitur, tertio et quarto generi; quibus accusativus substantivi omissa praepositione „in" vel „ad" locali notione alteri substantivo pro attributo adnectitur, quinto ascripsi et si quae alia huiusmodi exempla apud Ciceronem occurrunt, ubi aptissimum videbatur, attuli. — Omisi ipsa adverbia: huic enim loco abunde satisfactum existimo iis, quae Haasius [1]), Naegelsbachius [2]), Kühnerus [3]) disputaverunt [4]).

Prima in medium veniant exempla quaedam insigniora aut notionum attributivarum copia et conlocatione aut substantivi, ex quo pendet attributum, omissione.

Haud raro apud Ciceronem duo attributa, quae constant ex praepositione cum substantivo suo uni eidemque nomini iuncta videmus [5]). Exempla sunt: Unam orationem de sociis et nomine Latino contra Gracchum reliquit sane et bonam et nobilem; Brut. 26, 38. Sunt enim et aliae et pro Ser. Fulvio de incestu nobilis oratio ib. 32, 122. Quid si mandata sint exponenda aut in senatu ab imperatore aut ad imperatorem aut ad regem aut ad populum a senatu; de orat. II, 12, 43. Quid dicam adventus meos? . . . . quid concursus ex agris patrum familias cum coniugibus ac liberis? Piso 51. Nullae ad senatum e provincia litterae ib. 37. Ab urbe ea transmissio in Graeciam laudabatur; Phil. I, 3, 7. Jubent venire . . . agros in Hispania apud Karthaginem novam; Leg. agr. I, 5. Illud unum directum iter ad laudem cum laude qui probaverunt prope iam soli in scholis sunt relicti; Cael. 41. Sullae et C. Caesaris pecuniarum translatio a iustis dominis ad alienos non debet liberalis videri; Off. I, 14. Oratio de me assidua et perpetua iurgia cum obtrectatoribus propter me notissima mihi sunt; Fam. X, 11, 1. Caesaris

1) Fr. Haase, Vorlesungen etc. I, p. 131—133.
2) Lat. Stilistik §. 75.
3) Ausführliche Grammatik der lat. Sprache II §. 58 b.
4) Cf. etiam Drægeri Historische Syntax der lat. Sp ache §. 79.
5) Ex Livii libris aliquot huius generis exempla attulit Krahius (Specimen grammaticæ Livianæ p. 17); quæ omniane sint quæ suppeditet opus Livianum nescio; plura certe ex nostri auctoris libris huc invenies transcripta.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

hic per Apuliam ad Brundisium cursus quid efficiat exspecto; Att. VIII, 11, 7. Unam mehercule tecum apricationem in illo Lucretino sole malim quam omnia istiusmodi regna.

Nonnunquam inter duo huiusmodi attributa haec intercedit ratio, ut alterum attributum cum substantivo regente arctiore nexu cohaereat et in unam notionem coalescat ex eaque pendeat alterum: Si qui meum cum inimico suo reditum in gratiam vituperabunt; Prov. cons. 20, 47. Hic sunt haec: coniunctio mihi summa cum Pompeio; . . . . . reditus in gratiam cum inimicis, . . . . senectutis otium; Att. II, 3, 3. Epistola brevis, quæ postea a te scripta est, sane mihi fuit iucunda, de Bruti ad Antonium et de eiusdem ad te litteris; Att. XIV, 15, 1.

Nonnunquam eadem praepositio cum substantivo suo bis eidem nomini diversa notione adnectitur, cuius rei haec adicio exempla: Ego enim hanc in tantis opibus, tanta fortuna liberalitatem in suos, memoriam amicitiæ reliquis virtutibus omnibus antepono; Rab. Post 44. Judicium in aratorem in quadruplum; Verr. III, 70. — Adde ex Cornif. (IV, 49, 62): Imago est formæ cum forma cum quadam similitudine conlatio.

Alterum attributum adverbium aut casus substantivi est his locis: Iter a Vibone Brundisium terra petere contendi; Planc. 36. Reperio duo senatus consulta iisdem consulibus de eadem syngrapha; Att. V, 21, 12. Is meus domum fuit e foro reditus; Piso 7. — Adde ex Cælii ad Ciceronem epistola (Fam. VIII, 15, 2): Sed tamen quodnam ob scelus iter mihi necessarium retro ad Alpes versus incidit?

Quin etiam tres apud Ciceronem repperi locos, quibus tria huiusmodi attributa cum eodem substantivo iunguntur: unus est in oratione habita pro Sestio (108): Cedo . . inimici mei de me eodem ad verum populum in campo Martio contionem; alter in libro de inv. II, 27, 82. Extrema est, ut in comparatione, assumptio iudicationis et de ea per amplificationem ex deliberationis præceptis dictio; tertium est ib. II, 55, 166: Amicitia (est) voluntas erga aliquem rerum bonarum illius ipsius caussa, quem diligit, cum eius pari voluntate („Freundschaft ist die auf das Wohlergehen eines andern um seiner Persönlichkeit willen gerichtete Zuneigung, mit Erwiederung von seiner Seite“ Mos.). — Adde hunc Cornificii locum (III, 13, 21): Distributio est in contentione oratio frequens cum raris et brevibus intervallis acri vociferatione.

Et his quidem locis omnibus duobus tribusve exceptis attributa substantivo regenti simpliciter vel præmissa sunt vel postposita. Interdum autem interpositione usus scriptor diversi generis attributa, adverbia, casus substantivi, præpositiones cum substantivo suo, adiectiva ita cumulat, ut totius definitionis attributivæ permagnus exsistat ambitus. Huius generis primum huc transcribere placet quæ Nægelsbachius [1]) attulit exempla: Hanc tantam variis cursibus in omni æternitate convenientiam temporum; N. D. II, 21, 54. Revocarem animos vestros ad Mithridatici belli memoriam, ad illam universorum civium Romanorum per tot urbes uno puncto temporis miseram crudelemque cædem; Flacc. 60. Et illa orationis suæ cum scriptis alienis comparatio et de alieno scripto subita vel laudandi vel vituperandi vel comparandi vel refellendi caussa disputatio; De Orat. I, 60, 257.

Ob eandem interpositorum attributorum copiam hi loci digni sunt, qui memorentur: Studium est autem animi assidua et vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluptate occupatio; Inv. I, 25, 36 et ib. II, 9, 31. Magnificentia est rerum magnarum et excelsarum cum animi ampla quadam et splendida propositione agitatio atque administratio; ib. II, 54, 163. Temperantia est rationis in libidinem atque in alios non rectos impetus

1) Stil. §. 75. p. 231.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

animi firma et moderata dominatio; ib. II, 54, 163. Affectio est quædam aut ex tempore aut ex negotiorum eventu aut administratione aut hominum studio commutatio rerum; ib. II, 58, 176. Omnia . . . . constituta sunt . . cum mea . . diligentia, tum multo etiam maiore populi Romani ad summum imperium retinendum et ad communis fortunas conservandas voluntate; Cat. IV, 4. Est autem amicitia nihil aliud, nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et caritate summa consensio; Amic. 6, 20. Erat in eo præterea summa comitas, summa in omnes cives opis, auxilii, defensionis, largiendi etiam benignitas; Rep. II, 20, 35. Huc accessit commemoranda quædam et divina Cæsaris in me fratremque meum liberalitas; Fam. I, 9, 18. Sed quia tua in me vel nota omnibus vel ipsa novitate meorum temporum clarissima et maxima beneficia exstiterunt; ib. VI, 2. Tuam quidem et in agendis nostris rebus et in consiliis ineundis mihique dandis, in ipsis litteris, quas mittis, benevolentiam, diligentiam, prudentiam mirifice diligo; Att. XII, 34, 2.

Substantivum, ex quo pendet attributum, cogitatione supplendum est his locis: Legimus omnes Crantoris, veteris Academici, de luctu (scil. librum); Acad. II, 44, 135. Perlegi tuum paullo ante tertium de natura deorum; Div. I, 5, 8. De gloria tibi misi; Att. XVI, 2, 6. In secundo de consulatu; Div. I, 11, 17. Cærullia . . describit a tuis; istos ipsos de Finibus habet (scil. libros); Att. XIII, 21, 5. Ei dedi tuas ad Vestorium (scil. litteras), quas Pharnaci dederas; ubi aliquanto durior videtur ellipsis substantivi regentis, quia in eis quæ præcedunt enuntiatis scriptor bis usus erat vocabulo epistola; Att. XIII, 30, 2. Age sume de Gracchi apud censores (scil. oratione); Or. 70, 233.[1])

Jam ceteras exempla eo, quæ dixi, ordine percenseamus.

## Dictiones attributivæ, quæ obiecti instar substantivis adiiciuntur.

Junguntur huiusmodi attributa cum nominibus affectuum aut cum substantivis, quibus actio indicatur ab animi affectu aliave ab caussa profecta aut quibus aliqua agendi vis et notio subicitur.

a. Pendent attributa a nominibus affectuum.

Aequitas: Aequitas in vos libertatemque vestram vehementer defuit; Leg. agr. II, 20.

ambitio: Ut officii potius in socios quam ambitionis in cives rationem duxerit; Verr. II, 154.

amor: Propter tuum in me amorem; Fam. I, 3. Nimiæ pietatis et summi amoris in patriam vicissim nos pœnas . . . sufferamus; Flacc. 96. — Tantum enim animi inductio et mehercule amor erga Pompeium apud me valet; Fam. I, 8, 2; Summo erga vos amore; Cat. III, 1.

animus: Tibi autem multo notior atque inlustrior meus in te animus esset; Fam. I, 9, 1. Quæ locutus est Furnius noster de animo tuo in rem publicam, ea gratissima fuerunt senatui; Fam. X, 6, 1. — Huius animum erga M. Brutum studiumque; Phil. X, 17.

1) De hoc ellipsis genere nonnulla disputavit Seyffertus Schol. lat. II, § 73.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

benignitas: Summa est enim, iudices, hominis in communem municipii rem diligentia, in singulos municipes benignitas, in omnes homines iustitia et fides; Cluent. 196; cf. quem supra iam attuli locum Rep. II, 20, 35. — Addo etiam illud me ipsum ex tua erga Lucceium benignitate maxima voluptate affici; Fam. XIII, 41, 1.

benevolentia: Pro tua incredibili in me benevolentia meaque item in te singulari; Fam. II, 7, 4. — Meam erga te benevolentiam facile perspicias; Fam. I, 7, 1. Ut nostra in amicos benevolentia illorum erga nos benevolentiæ pariter æqualiterque respondeat; Amic. 16, 56.

bonitas: Quid dicam ... de pietate in matrem, liberalitate in sorores, bonitate in suos, iustitia in omnes? Amic. 3, 11. — Id non sine divina bonitate erga homines fieri arbitrantur; N. D. I, 23, 60.

consensus: Quodque legio Martia Quartaque summo studio optimoque in rem publicam consensu . . . rem publicam, libertatem populi Romani defendant, defenderint; Phil. V, 46.

constantia: propter meam in Cæsarem constantiam; Fam. XI, 28, 8. Cuius est in rem publicam semper merito laudata constantia; Phil. XIII, 23.

crudelitas: Nec vero levitatis Atheniensium crudelitatisque in amplissimos cives exempla deficiunt; Rep. I, 3, 5. Ut ista in nostros homines crudelitas nemini concessa videatur; Verr. V, 150.

diligentia: v. benignitas.

fidelitas: Quæsivi ex Phania, cuius mihi videbar fidelitatem erga te perspexisse; Fam. III, 6, 1. Mihi prudentiam in consilio defuisse sciat, non illi erga patriam fidelitatem; Fam. X, 17, 2.

fides: Quorum agitur fides in hunc ordinem; Rab. Post. 13. — Cuius ego fidem erga te benevolentiamque perspexeram; Fam. IV, 9, 1. Rex Deiotarus .... vir benevolentia et fide erga populum Romanum singulari; Fam. XV, 4, 5.

humanitas: Quam (crucem) iste civibus Romanis testem humanitatis in eos ac benevolentiæ suæ voluit esse; Verr. III, 59. Quo tua in me humanitas fuerit excelsior, quam in te mea.

impietas: Ita ad impietatem in deos in homines adiunxit iniuriam; N. D. III, 34, 84.

indignatio: in eius autem qui sumpserit, audaciam et crudelitatem indignatio; Inv. II, 28, 85.

indulgentia: Non cognosco tuam in me indulgentiam; Att. XII, 22, 1. Uniuscuiusque indulgentiam in suos testarer; Sulla 64.

iustitia: v. benignitas; Est enim pietas iustitia adversus deos; N. D. I, 41, 116.

lenitudo: Nimia in istum non modo lenitudine, sed etiam liberalitate oppugnarer; Verr. IV. 136.

liberalitas: Est enim in eo summa probitas, . . summa in hospites liberalitas et observantia; Fam. XIII, 78, 1. Ego enim hanc . . . liberalitatem in suos . reliquis virtutibus omnibus antepono; Rab. Post. 44.

malevolentia: Novi animum cum mihi amicissimum tum nulla in ceteros malevolentia suffusum; Fam. I, 9, 22. Malevolentiæ hominem in me . . occurres; ib. XI, 11, 2 (ex Bruti ad Ciceronem epistola).

misericordia: Omne meum obsequium in illum fuit cum multa severitate; Att. X, 4, 6. Neque solum in homines obsequia, sed etiam in deos ceremoniæ religionesque tolluntur; Leg. 15. 43.

Observantia: Pro nostra necessitudine tuaque summa in me observantia; Fam. XIII, 7, 1. — De tua erga se observantia benevolentiaque; Att. XI, 17, 1.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

odium: Incredibile est omnium civium . . odium in Antonium; Fam. X, 5, 3; Quid enim tam pervulgatum, quam illius in me odium? Att. XI, 22, 1.

perfidia: Multorum in nos perfidiam; Fam. V, 12, 4. Cum illius in me perfidiam increpet; Q. Fr. II, 3, 3.

pietas: Intellexi te perspicere meam in te pietatem; Fam. I, 9, 1. — Atque haud scio an pietate adversus deos sublata fides etiam .... tollatur; N. D. I, 2, 4. Nec vero pietas adversus deos . . . sine explicatione naturæ intellegi potest; Fin. III, 22, 73.

studium: Occulta nonnullorum odia aut obscura in me studia cernebam; Fam. I, 9, 5. Si tantum in rem publicam publicam studium calamitati fuerit; Flacc. 105. — Quod autem tibi grata mea erga te studia scribis esse; Fam. I, 9, 1. De meo studio erga salutem et incolumitatem tuam credo te cognosse; ib. X, 29.

superbia: In plebem vero Romanam utrum superbiam prius commemorem an crudelitatem; Verr. I, 122.

voluntas: De mea autem in te voluntate sic velim iudices; Fam. IV, 14, 4. In quo meam in rem publicam voluntatem populus Romanus perspicere posset; Verr. a. pr. 34. — Itaque conscientia meæ constantis erga te voluntatis rescripsi tibi subiratus; Fam. III, 9, 1. Ea voluntas erga Cn. Planciisalutem; Planc. 43.

b. Attributa pendent ex substantivis, quæ actionem ipsam indicant vel aliquam agendi habent significationem.

Aculeus: Fuerunt nonnulli aculei in C. Cæsarem, contumeliæ in Gellium, expostulationes cum absente Pompeio; Q. Fr. II, 1, 1.

adiutor: Ille adiutorem servum contra dominum repudiavit, tu etiam accusatorem adhibuisti; Deiot. 31.

animadversio: Quid excogitat pœnæ? quid animadversionis in Apronium? Verr. III, 140.

beneficium: Patris tui in me beneficia sunt amplissima; Fam. XV, 10, 2. At nunc cum his tantum negotii est, ut vestrum illud divinum in rem publicam beneficium nonnullam habeat querellam; ib. X, 28. Rem publicam lugebam, quæ non solum suis erga me, sed etiam meis erga se beneficiis erat mihi carior; ib. VII, 28, 3.

cærimonia: v. obsequium.

conatum: Cuius ego non modo factum, sed inceptum ullum conatumve contra patriam deprehendero; Catil. II, 27.

concitatio: Plebi contra patres concitatione et seditione nuntiata; Brut. 14, 56.

conquestio: Ab defensore, in eius, quem ultus sit, audaciam conquestio; Inv. II, 28, 86.

conspiratio: Nihil de conspiratione audiebat certorum hominum contra dignitatem tuam; Deiot. 11.

consuetudo: Id enim et . . . . mea consuetudo in meos et tua multa erga me officia postulant.

contumelia: v. aculeus; Quodsi non tuis nefariis in hunc ordinem contumeliis in perpetuum tibi curiam præclusisses; Piso 40.

crimen: Postulata consulibus, quæ non postulata, sed in istum crimina



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

viderentur esse, ediderunt; Verr. II, 10. Aut quod in hunc maius crimen exspectas? Rab. 19.

defensio: Nam hæc perpetua contra Scævolam Curiana defensio tota redundavit hilaritate; De Orat. II, 54, 221. Non enim est illa defensio contra vim umquam optanda; Milo 14.

dictum: Equitum ego Romanorum in homines nobilissimos maledicta, publicanorum in Q. Scævolam . . . aspere et ferociter et libere dicta commemorem? Planc. 33.

edictum: Quid est hoc? utrum prætoris institutum in socios an in hostes victos insani edictum atque imperium tyranni; Verr. III, 25.

epigramma: Callimachi quidem epigramma in Ambraciotam Cleombrotum est; Tusc. I, 34, 84.

factum: v. conatum.

honos: Qui ab illo in me honos, quæ prædicatio . . . prætermissa est? Dom. 27.

imperium: v. edictum.

impetus: Improborum impetus in me; Att. I, 20, 2; Nocturnum impetum in urbem Asiæ clarissimam ponite ante oculos; Phil. XI, 7.

imperator: Ut minuatur contra suum furorem imperatorum copia; Mur. 83.

iniuria: Odium multarum eius in me iniuriarum; Fam. I, 9, 20. His de tot tantisque iniuriis in socios, in reges, in civitates liberas consulum querella esse debuit; Verr. I, 86.

inceptum: v. conatum.

institutum: v. edictum.

iudicium: Quid est hoc? . . . populi Romani leges, iudicia in socios fideles, in provinciam suburbanam; Verr. III, 66.

ius: Quod dicitur Atinæ factum a iuventute vetere quodam in scenicos iure maximeque oppidano; Planc. 30.

labor: Hæ sunt præsidia Cornelii: talis in rem publicam nostram labor, assiduitas, dimicatio, virtus; Balb. 6.

largitio: Non enim ista largitio fuit in cives, sed in hospites liberalitas; Att. VI, 6, 2.

maledictum: v. dictum.

meritum: Omitto . . de meis in omnes mortales meritis unum iudicium unumque consensum; dom. 75. Vir is, qui hanc potentiam et gloriam maximis in rem publicam meritis . . . esset consecutus; Fam. I, 9, 11. — Sunt enim testes et erunt sempiterni meritorum erga me tuorum; ib. 23.

munus: Quid aratorem ipsum arationis nomine muneris in rem publicam fungi ac sustinere velitis; Verr. III, 199.

officium: Multa mea in se, nonnulla etiam sua in me proferebat officia; Sulla 18. Litteras ad socios de istius summis officiis in rem communem . . . mitteret; Verr. II, 172. — v. consuetudo; Gradibus officiorum erga rem publicam nostram; Deiot. 27.

oratio: Quod indicat Gracchi in eum oratio; sunt etiam in Gracchum Tuberonis; Brut. 31, 117. Exstat in eam legem senior . . . . oratio; ib. 43, 160. Nec enim maior contentio umquam fuit nec . . gravior oratio quam huius contra collegam in censura nuper; De Orat. II, 56, 227.

patibulum: Tibi Marcelli statua pro patibulo in clientes Marcellorum fuit? Verr. IV, 90.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pœna: Me tamen fugerat deorum immortalium has esse in impios et consceleratos pœnas certissimas; Piso 46. Quæ tamen pœna in cives nimis crudelis putabatur; Phil. XI, 1.

potestas: Sublataque populi Romani in unum quemque vestrum potestate; Verr. a. pr. 38.

prædicatio: v. honos.

præiudicium: De Bibuli edicto nihil novi præter illam exceptionem, de qua tu ad me scripseras, nimis gravi præiudicio in ordinem nostrum; Att. VI, 1, 15.

preces: Aude negare servientis adversus regem istas esse preces; Ep. ad Brut. I, 16, 1.

probrum: Epistolæ mihi legerant plenas omnium in me probrorum; Att. XI, 9, 2.

promeritum: Quo (genere orationis) quisquam possit vestra in nos universa promerita non dicam complecti orando, sed percensere numerando? Sen. 1. Qua re hoc maius est vestrum in nos promeritum; Quir. 8.

religio: v. cærimonia.

sacramentum: Si X viri sacramentum in libertatem iniustum iudicassent; Dom. 78.

scelus: At vero selerum in homines atque impietatum nulla expiatio est; Leg. I, 14, 40. Obliviscendum vobis putatis matrum in liberos, virorum in uxores scelera? Scaur. 13.

sermo: Jucunda enim Balbo nostro sermo tuus contra Epicurum fuit N. D. III, 1, 2.

supplicium: Supplicia vero in cives Romanos nulla Tarquinii accepimus; Phil. III, 10.

testimonium: Tamen huius . . . iurati testimonio neque in C. Fimbriam neque in C. Memmium creditum est; Font. 24. — Audite, quæso, in eas res, quas commemoravi, hominum honestorum testimonium; Tull. 24.

testis: Ut ille Gallus olim testis in Pisonem; De Orat. II, 56, 265. Is qui multos in istum testes imperio . . . deterruit; Verr. III, 122.

Ex eodem genere est: Meum illud in Helvium Manciam; De Orat. II, 56, 266.

Nonnullis Epistolarum locis huiusmodi attributa occurrunt ex græcis vocabulis suspensa, ut: Quid enim aliorum in me ἐπιφωνήματα exspectem? Att. I, 19, 3. Quam in me incredibilem ἐκτένειαν! ib. XIV, 20, 4.

## Adnotationes.

1. Genus attributorum, cuius exempla supra attuli, omnium, quæ apud prosæ orationis scriptores occurrunt, non solum apud Ciceronem frequentissimum est. Inprimis late patet usus earum locutionum, quæ ex nominibus affectuum pendent; quarum maximam copiam suppeditant Ciceronis Epistolæ.

2. Pendent hæc attributa non solum ex substantivis verbalibus, sed etiam ex denominativis et primitivis: quod idem cum ad cætera genera, quæ deinceps recensebo, pertineat, hoc loco breviter monitum volo; nec monere operæ pretium esset visum, nisi grammatici quidam olim audacter tot locis repugnantibus contendissent, præpositiones cum substantivo coniunctas attributi loco non fere poni posse, nisi substantivum regens esset verbale. (Ex quo numero fuit Klotzius, qui in adnotatione ad Tusculanarum locum (II, 3, 7) «lectionem sine ulla delectatione neglego» dicit verba «sine ulla delectatione» pro attributo adici potuisse, quia sucstantivum «lectio» verbale sit, «librum» sine ulla delectatione dici potuisse negat;

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quod paucis refutat Kühnerus.[1]) Inter nomina, quæ vocantur, affectuum etiam plura deprehendas, quæ a nominibus, quam quæ a verbis ducuntur.

3. Præpositiones in hoc genere attributorum adhibentur «in», «erga», «adversus», «contra»; sæpissime occurrit «in», rarius «erga», rarissime «adversus» et «contra». Nullum exemplum præpositionis «adversus» in huiusmodi structura usurpatæ orationes Ciceronis quotquot sunt suppeditant.[1]) Neque ex ceteris libris præter ea quæ supra commemoravi exempla (N. D. I, 2, 4; Fin. III, 22, 73; Ep. Brut. I, 16, 1; N. D. 1, 41, 116) ullum habeo quod afferam nisi hoc unum: At etiam de sanctitate, de pietate adversus deos libros scripsit Epicurus (N. D. I, 41, 115). Errant Zumptius (Lat. Gramm. § 423), Suepflius (Pract. Anl. § 117, A. 2), Drægerus (Hist. Synt. p. 469), quod huc referendum esse arbitrantur quod scriptum videmus Off. I, 28, 39: Adhibenda est quædam reverentia adversus homines et optimi cuiusque et reliquorum. Hoc enim loco soli genitivi «optimi cuiusque et reliquorum» suspensi sunt ex vocabulo «reverentia», verba «adversus homines» non arctiore nexu cum eodem substantivo cohærent, sed pertinent ad totum enuntiatum, de quo conferas adnotationem Kühneri (Ausf. Gramm. II, pag. 305), qui locum recte sic interpretatur: «Man muss den Menschen gegenüber (d. h. in dem Benehmen gegen den Menschen) sowohl den besten als auch den übrigen eine gewisse Achtung beweisen.» — Præpositionem «contra», quod cognoverim, Cicero numquam cum nominibus affectuum, quæ vere dixeris, coniunxit. — Præpositionem «erga» a melioribus scriptoribus non adhiberi nisi ad benevolum animi affectum indicandum nemo litterarum initiis imbutus ignorat. Unus Nepos ex aureæ ætatis scriptoribus ut in aliis verborum coniunctionibus, ita in huiusmodi structura etiam de animo adverso et malevolentia «erga» dixit pro «in» vel «adversus», ut his locis: Huius perpetuum odium erga Romanos maxime concitasse videtur secundum bellum Punicum; Ham. 4, 3. Odium paternum erga Romanos; Hann. I, 3. Multa secum reputans de immoderata civium suorum licentia crudelitateque erga nobiles — Quod Handius (Turs. II, p. 438) monet, in veterum libris semper esse personam, ad quam hæc præpositio referatur, non rem, nisi quæ ad aliquam personam attineat, id omnibus, quæ supra attuli exemplis quæque aliis in locis occurrunt, comprobatur. Nam quod dixit Cicero «vir .. erga meum salutem fide .. singulari» (Prov. cons. 1.), «omne suum erga meam dignitatem studium et iudicium» (Dom. 142), «hominum studium erga hunc ordinem» (Prov. cons. 39), erga patriam fidelitatem» (Fam. X, 17, 2): perspicuum est, nomina „salutem", „dignitatem", „ordinem", „patriam" aut proxime ad personæ notionem accedere aut rem significare, quæ ad aliquam personam attineat. Neque vero hæc propositionis „erga" proprium est, sed etiam ad præpositionem „in" pertinet in huiusmodi structura usurpatam. Nam substantiva quæ præter ipsarum personarum nomina cum hac præpositione coniuncta videmus, ex eodem, quod modo dixi, genere sunt. (Cf. quæ supra attuli exempla s. v. æquitas amor, animus, consensus, constantia cett.) Suo igitur iure Bergerus (Stil. § 55) aliique grammatici tirones monent, ne dici posse putent „amorem in litteras" pro „litterarum" vel similia. — Nomina, quibus Cicero præpositionem „erga" cum substantivo suo subiunxit, in primis hæc sunt: amor, animus, benevolentia, fidelitas, fides, observantia, studium, voluntas, beneficium, meritum, officium.

4. Substantivi in his dictionibus cum præpositione coniuncti cum fere eadem sit notio atque genitivi obiectivi, in aliquot nominibus utramque structuram, et genitivi et præpositionis cum substantivo suo usitatam esse videmus, ita tamen, ut saepius adhibeatur genitivus; ex eo numero sunt „amor", „odium"; pleraque autem genitivum obiectivum personae non admittunt, ut „animus, bonitas, crudelitas, iustitia, perfidia, pietas, beneficium, officium cett." Contra ea complura sunt nomina affectuum, quae, cum addendum est obiectum, genitivum poscant, ut „desiderium". — Genitivos pronominis personalis „mei", „tui", „sui", „nostri", „vestri" Cicero una cum pronominibus possessivis numquam nominibus affectuum pro attributis adiecit. Quod

1) V. eius adnotationem ad eundem locum; conferas etiam quæ Reisigius disputat l. l.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

miror si ego princeps animadverterim, sed grammatici, quorum libros ad manum habebam, nescio quo pacto, ubi de hac re disserunt, iis verbis utuntur, ex quibus conligas necesse est, structuram obiecti ex præpositione suspensi vulgarem illam quidem esse, sed alteram tamen admitti. Audi Seyffertum, cuius grammatica nostrorum discipulorum manibus teritur (§ 149, l. A. 2), hæc dicentem: „Wenn ein persönlicher Begriff Gegenstand einer durch das regierende Substantiv ausgedrückten Gemüthsstimmung ist, werden auch im Lateinischen die Præpositionen in, erga, adversus angewendet, wie „amor erga (in) deum", . . . . und besonders, wenn zu dem regierenden Nomen noch ein Possessivpronomen oder ein genitivus subiectivus hinzutritt, wie „tuus erga me amor". Audi Suepflium (Pract. Anl. § 120): „Regelmässig findet dieser Gebrauch statt (loquitur de nominibus affectuum, quibus pro genitivo obiectivo præpositio cum substantivo suo adiciatur), wenn die Bezeichnung zwischen ein Possessivpronomen und das Substantiv tritt, z. B. nostra in amicos benevolentia . . ." Similibus verbis Kühnerus (Ausf. Gramm. II, p. 305, A. 1) dicit: „Regelmässig werden die Præpositionen (statt der obiectiven Genitive) gebraucht, wenn das regierende Substantiv mit einem Possessivpronomen verbunden ist, wie meus in (erga) te amor". Adde quæ Ramshornius (Gr. II, p. 536, adn. 2) tradit: „Neben einem Possessivo steht der Genitivus obiecti eines Personalpronomens nur, wo er sonst sehr gewöhnlich ist, ausserdem steht dafür eine Præposition." [1]) Dixeris, grammaticos non Ciceronis solum dicendi consuetudinem spectasse, sed etiam Caesaris, Nepotis, Livii, aliorum, qui posteriore aetate vixerunt; sed ne ex his quidem scriptoribus exemplum afferunt, quo probetur genitivos „mei" cett. una cum pronomine possessivo eidem nomini adiungi. [2])

Ridicule autem quod scriptores latini maxime pronomine possessivo accedente in locum genitivi obiectivi praepositionem substituerint, quidam grammatici ad perspicuitatis studium revocant. Nam, ut repetam, quod Haenischius dixit, si Cicero eo loco, qui est Fam. XIII, 29, 1 scripsisset „Ab his initiis noster tui amor profectus", id ab ambiguitate non plus haberet reprehensionis, quam quod scripsit: „Ab his initiis noster in te amor profectus"; atque idem de plerisque locis dicendum est, ubi pro genitivo obiectivo substantivo ex praepositione apto usus est. — Verissime tamen ex perspicuitatis studio repetunt, quod scriptores latinos multis locis pro genitivo obiectivo praepositionem adhibuerunt, ne duo genitivi nominum, quae personam significant, alter notione obiectivo, alter subiectivo, cum eodem substantivo iungerentur. Quod inprimis Cicero videtur vitasse. Equidem duos dumtaxat locos inveni, quibus ab hac lege recessit: Nam coniugis miserae squalor et luctus atque optimae filiae maeror assiduus filiique parvi desiderium mei (Quir. 8), ubi dubium non est, quin „mei" notionem habeat genitivi obiectivi; adde: Cupio equidem . . . . ab hac hominum satietate nostri discedere et cum aliquo desiderio reverti; Att.

1) Drægerus quid de hac re senserit, ex iis, quæ scripsit Hist. Synt. p. 469, haud facile eruas. — Proxime ad veritatem accedit Ramshornius, cui prorsus assentirer, si verbis extremis leviter mutatis dixisset: «nur wo er die einzig zulässige Construction ist» vel «wo die Präposition überhaupt nicht zulässig ist.»

2) Si qui id, quod dixi, everti existiment duobus locis a Ramshornio allatis «Grata mihi vehementer est memoria nostri tua» (Fam. XII, 17) et «Nicias vehementer tua sui memoria delectatur» (Att. XIII, 1, 3), hi considerent, vocabulum «memoriam» neque nomen affectus esse neque aliam structuram nisi genitivi obiectivi admittere. — Non alienum videtur hoc loco commemorare, genitivorum pronominis personalis usum omnino non tam late apud scriptorem nostrum patere, quam plerique existimant. In orationibus, ut conligo ex Merguetii Lexico, pronominis «mei» ex substantivo suspensi septem tantummodo exstant exempla (Quir. 8, Har. resp 48, Sest. 76, Milo 39, Har. resp. 5, Mur. 21); pronominis «nostri» unum (Verr. I, 22); genitivi «tui» tria (Vat. 8, Deiot. 10, Div. Cæc. 27), «vestri» unum (Phil. IV, 4), «sui» quinque (Verr. IV, 127, Rab. 14, Cat. II, 6, Cluent. 109, Fr. A. 1). In his autem locis omnibus nullum reperias, quo pronomen possessivum una substantivo regenti subiciatur. Reliquis locis, qui non admodum multi sunt, pendent genitivi ex adiectivis aut verbis.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

II, 5, 1. Quibus locis non est prætermittendum, neque nomen «desiderium» neque «satietatem» aliam structuram nisi genitivi admittere. — Nihil offensionis habere duos genitivos ex eodem nomine suspensos, si alter personam, alter rem significet, non est quod moneam; cuius structurae ubivis etiam apud nostrum auctorem obvia sunt exempla.[1])

5. Substantivum meritum cum praepositionibus „in" vel „erga" construi, cum verbum, a quo ducitur, nunquam has praepositiones admittat (semper enim dicitur mereri «de aliquo» vel «de aliqua re»), et alios ante me puto animadvertisse et diserte docet Krebsius in Antibarbaro s. v. merere; rationem diversae dictionis neque ille attulit, neque ego dispicio.

6. De conlocatione huius generis attributorum ad ea, quae in commentationis meae ingressione dixi, haec videntur adicienda. Nisi alterum attributum accedit, praepositio cum nomine suo substantivo regenti vel praemittitur vel postponitur, saepius tamen postponitur. Interdum in uno eodemque enuntiato utriusque conlocationis occurrit specimen, ut eo loco, quem supra attuli: Ita ad impietatem in deos in homines adiunxit iniuriam (N. D. III, 34, 84); cf. Att. X, 10, 5 et ib. XVI, 16, I, 1. — Cum alterum attributum additur, quaesitior illa regnat conlocatio a Graecis petita, qua substantivum ex præpositione aptum medium locum obtinet, sed non ita regnat, ut non saepissime neglegatur. Neglectae interpositionis exempla, ad ea quae loci supra allati suppeditant, haec addo ex solis Epistolis desumpta: De mea benevolentia erga te etsi potes ex eodem Phania cognoscere; Fam. III, 1, 1. De mea voluntate erga te; ib. III, 2, 1. Meum studium erga te; ib. III, 4, 2. Tuis incredibiliter studiis erga me muneribusque delector; ib. III, 9, 3. Pari me studio erga te et eadem voluntate cognosces; ib. V, 11, 1. Quae cum faciam, benevolentiam tuam erga me imitabor; ib. VI, 4, 5. Qui meus amor in te est; ib. VII, 2, 1. Studia mea erga te; ib. X, 20, 3. Mea studia erga te et officia; ib. XII, 24, 1. Tuus amor in me; ib. XIII, 7, 4. Multa acciderunt, in quibus et benevolentiam eius erga me experirer et fidem; ib. XIII, 69. Pro tuo amore in me; Att. III, 25. Fratris Appii amorem erga me; ib. VI, 1, 10. Eius animum erga me; ib. VII, 2, 5. Merita Pompeii summa erga salutem meam; ib. VIII, 3, 1. Illius voluntas erga me; ib. XI, 7, 5 Ex omnibus . . . studiis in me et officiis; ib. XV, 14, 2. — Adde ex Bruti et Cassii ad M. Antonium epistola (Fam. XI, 2, 1): De tua fide et benevolentia in nos; Facias nos certiores tuae voluntatis in nos; ib. 2. Plura qui desiderat evolvat Merguetii Lexicon II, p. 208 et p. 632—636.

7. Hoc attributorum genus uti omnium usitatissimum est, ita minime mirum, quod Cicero rarius pleniore elocutionis ratione utitur, illam dico, qua pro substantivo ex praepositione apto tota ponitur enuntiatio. Pauca huius alterius dictionis exempla placet apponere: Omnem tuum amorem, quo me es amplexus; Att. VII, 1, 2. Quis erat, qui putaret, ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere; ib. XIV, 17, 5. Commemoratio tua paternae necessitudinis benevolentiaeque eius, quam erga me a pueritia contulisses; ib. X, 5, 1. Prioribus duobus locis sane brevius nec minus bene dici poterat „Omnem tuum erga me amorem" et „ad meum erga te amorem"; tertio loco cur minus commode scriptor praepositione uti potuerit nemo est quin videat.[2])

8. Erunt fortasse, qui, quem supra proposui locutionum orbem, nimis angustis finibus arbitrentur circumscriptum; neque ego ignoro, quemadmodum genitivi obiectivi in Latina lingua latissime pateat usus, ita huic generi, quod genitivi obiectivi vices sustinet, plura exempla posse vindicari, in quibus sunt dictiones „de testamento controversia", „cura de salute patriæ", „de re maxima dissensio", aliæ id genus. Sed has quidem, ut jam supra dictum est, una cum similibus locutionibus, in quibus præpositio «de» argumentum et materiam significat,

---

1) Cf. Zumptii Gramm. §§ 423 et 791.

2) Cf. cf. quæ sequuntur verba (2): Rursus declaratio animi tui, quem haberes de republica, quemque habiturus esses, mihi erat iucundissima.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

separato proprioque generi assignare satius duxi itemque alia exempla qui desiderabit aliis locis inveniet allata.

## II. Attributa, quæ in locum genitivi partitivi sive totius, quem vocant, substituuntur.

Pendent haec maximam partem ex pronominibus aut numeralibus, quae aut iusta et legitima sunt substantiva, ut „nemo", „nihil", „quisquam", aut substantivorum vices sustinent, ut „alius", „ceteri", „quidam".

Exempla huiusmodi praemissis nominibus, ex quibus pendent attributa, haec appono:

Aliquis, quis, nescio quis: Puto posse et quidem aliquem de tribus nobis; Leg. III, 75. Vellem aliqui ex vobis robustioribus . . suscepisset; Cael. 7. — Vereor, ne quis forte de populo . . . haec fingi a me arbitretur; Verr. I, 138. Ne cui liceat ex eis civitatibus; Balb. 26. — Est nescio quis de eis, quos amicos nostros arbitramur; Cluent. 143. — Aliquid, quid: Ego tibi aliquid de meis scriptis mittam; Att. I, 16, 18; Ut aliquid de bonis suis recuperaret; Verr. V, 128. Si quid ex vetere aliqua oratione . . . ediscere potueris; div. Caec. 43.

alius: Omnes homines non iam ex eodem ordine alios magis idoneos, sed alium omnino ordinem . . . quærendum arbitrabantur; Verr. a. pr. 49.

alter: Necesse est enim sit alterum de duobus; Tusc. I, 41, 87. Quibus ex generibus alteri se populares, alteri optimates et haberi et esse voluerunt; Sest. 96.

ceteri: Ut ceteros ex vestra familia; Verr. a. pr. 29.

complures: Quo in numero fuere e vobis complures; Verr. I, 15.

duo: De quibus duos praetextatos sedentes vides; Vat. 16. Ex his . . . . duo a populo Romano praetores video esse factos; Sest. 113.

multi: Ut intellegatis, primum ex omni numero quam non multi ausi sint dicere, deinde ex eis ipsis quam pauci fuerint laude digni; Brut. 78, 270. Ex eo numero . . multi; leg. agr. II, 37. Multa ex Sibyllinis vaticinationibus, multa ex haruspicum responsis commemorare possum; N. D. II, 3, 10.

nemo: Nemo de nobis unus excellat; Tusc. V, 36, 105. Pluris ex omni nobilitate neminem facio; Fam. XIII, 64, 1. Ex tot creditoribus alius nemo; Quinct. 76.

nihil: Hoc tempore nihil de tua voluntate ostendas; Fam. VIII, 6, 2. De pertinentibus nihil est bonum præter actiones honestas, de efficientibus nihil praeter amicum; Fin. III, 16, 55. — Nihil . . . . . audiet, nihil ex illa impura adolescentia sua; Verr. I, 32. Nihil ex eis, quae Galli insimulabant, negavit; Catil. III, 12.

nonnemo: Ex isto genere consultorum nonneminem; Cæc. 79.

nonnulli: Nonnullæ ex eo numero in convivium adhibebantur palam; Verr. V, 28. Ex (legione) Martia nonnulli in ipsa victoria conciderunt, Phil. XIV, 31.

nullus: E barbaris quidem ipsis nulli erant antea maritimi; Rep. II, 4, 9. Nullum ex eis unum esse optimum; Rep. II, 39, 65.

omnes: Clamare omnes ex conventu, neminem umquam in Sicilia fuisse Verrutium; Verr. II, 188. Omnes ex omni ætate cum Ser. Sulpicio non sint comparandi; Phil. IX, 10.

pauci: v. multi. Ex tanta multitudine civium tam pauci; Cluent. 147.

permultum: Si tibi unum hoc detrahi potest, permultum erit ex mærore tuo diminutum; Fam. V, 16, 5. Eloquentiam, ex qua tamen ipsa permulta nescio; De orat. III, 36, 147.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

plerique: Pleraque de eis, quæ ab isto obiciebantur, cum confiterer; De Orat. II, 25, 107.

plures: Plures ex colonorum numero quam ex veterum Agrigentinorum; Verr. II, 123.

primus: Hoc honore ex novis hominibus primum me . . . affecistis; leg. agr. II, 4. Aggrediar iam ad singulas civitates: ex quibus sit sane nobis prima civitas Acmonensis; Flacc. 34.

qui: Dicat qui vult hodie de illo populo concitato; Cluent. 90. Qui autem ex numero civium . . . . hostes patriæ semel esse cœperunt, eos nec vi coercere nec beneficio placare possis; Cat. IV, 22. Quæ laudas ex orationibus, mihi crede, valde mihi placebant; Att. I, 13, 5.

quidam: Cum quidam de conlegis nostris agrariam curationem ligurirent; Att. XI, 21, 5. Dixisse: ex eis quendam; De Sen. 18, 64. Erantque quædam ex his paria cum Crasso, quaedam etiam superiora; Brut. 59, 215.

quis: Quis de plebe Romana testimonium dixit umquam, cui non . . .; Cluent. 157. Quem ex his tribus? Qu. Rosc. 42.

quisnam: Quisnam ex hoc numero? Marc. 21.

quisquam: Ut unum Clitarchum, neque praeterea quemquam de Graecis legisse videatur; Leg. I, 2, 7. Quae scripsisti plura quam quisquam e nostris; ib. I, 3, 9.

quisque: Qua quisque lege ex illis iudicibus reus factus esset; Cluent. 115.

quisquis: De liberis autem quisquis est, procuratoris nomine appelletur; Caec. 57.

quivis: Quemvis ut mallem de eis, qui essent idonei, suscipere quam me; div. Caec. 16.

quot: Quot ex eis, qui vivunt? Rab. 26.

solus: Soli ex animantibus nos astrorum ortus, obitus, cursusque cognovimus; N. D. II, 61, 153. Cum te . . . laudant soli ex Sicilia; Verr. V. 28.

tres: De tribus et decem fundis tres nobilissimos eum video possidere; Sex. Rosc. 98. Ex Verris . . . comitatu tres; Verr. III, 30.

unus: Ut unum de meis domesticis et maxime necessariis; Fam. XIII, 71. Se gladio percussum esse ab uno de illis; Milo 65. Thales, unus e septem; Ac. II, 37, 118. Quod est unum ex tribus, quod dixi ab oratoribus effici debere; Brut. 53, 197. Eum commendo, ut unum ex nostra domo; Fam. XIII, 46.

Raro huiusmodi attributa cum substantivis, quæ proprie dicimus, coniunguntur. Exempla sunt:

Gleba: Si ostendo . . non adimi cuiquam glebam de Sullanis agris; leg. agr. III, 3. — Homo: homo ex numero disertorum; De orat. I, 37, 168. — Pars (partim): Ut de suis commodis aliquam partem velit committere; Quinct. 38. Ut aliquam partem de istius impudentia reticere possim; Verr. I, 32. Ex eo acervo, ex quo partem tu idem decumarum nomine probaris; Verr. III, 173. Serapionis librum ad me misisti; ex quo quidem ego . . . millesimam partem non intellego. E quibus partim plane tecum sentiebant; Vat. 16. Cum partim e nobis ita timidi sint; Phil. VIII, 32.

Præterea præpositiones „ex“ et „inter“ adiecto substantivo cum superlativis genitivi partitivi loco ponuntur, ut his locis: Quid ego? Audacissimus ego ex omnibus? Minime; Sex. Rosc. 2. — Propter quos ipse honestissimus inter suos numerabatur; Sex. Rosc. 16.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

## Adnotationes.

1. Præpositionum «ex» et «de» in hoc genere fere promiscuum esse usum exempla docent allata; sæpius tamen usurpatur «ex». — Præpositionem «inter» cum substantivo suo genitivi partitivi loco non invenias adhibitam nisi suspensa sit ex superlativis vel nominibus, quæ superlativi habent notionem, ut «princeps» (cf. Sest. 6, Planc. 32). Eodem modo Livius præpositionem «ante» usurpavit, Cicero numquam (cf. Handii Turs. I, p. 386). — Interdum etiam præpositionem «in» cum ablativo substantivi genitivi partitivi vices sustinere plerique grammatici commemorant. Ex Ciceronis libris tamen certum huius usus exemplum quod proferam habeo nullum. Nam quod in nonnullis libris grammaticis invenio allegatum «Thales Milesius sapientissimus in septem fuit» (Leg. II, 11, 26) equidem huc nequaquam rettulerim, primum quia dubitatio mihi affertur adiecto verbo «fuit», tum quod præpositio «in» etiam aliam habet explicationem [1]) Præpositionem «ab» cum substantivo suo in locum genitivi partitivi substitui, grammatici plerique negant; aut si non diserte negant, tamen hanc particulam in enumerandis præpositionibus, quæ pro genitivo partitivo ponantur, omittunt.[2]) Quibus ego libentissime assentirer, nisi adversarentur duo loci, qui exstant apud Cæsarem in eodem capite Comm. de B. G. (II, 25) «Nonnullos ab novissimis deserto proelio excedere» et «Scuto ab novissimis uni militi detracto». Nam utroque loco sine ulla dubitatione verba «ab novissimis» attributi vicibus funguntur nec facile aliter accipi possunt atque sensu partitivo, nisi ad contortulam interpretationem confugias. Ita etiam accipit Handius, qui (Turs. I, p. 34, ubi hæc exempla cum aliis nonnullis afferuntur) dicit: «Ab usurpatur in parte alicuius rei designanda atque ipsa ratio, quæ inter totam rem eiusque partem intercedit, ita exprimitur, ut pars ex universa re desumpta vel deducta videatur.» Verissime tamen idem addit: „Non multa exempla sunt; vulgo enim dicitur «ex».“ Prorsus nullum reperias apud Ciceronem.

2. Nonnumquam ambiguitatis vitandæ causa in locum genitivi partitivi substitui structuram substantivi ex præpositione apti monet Suepflius (Pract. Anl. I, § 128 A. 1). Exempla hæc duo affert: Quam multi de victoribus, qui te crudelem esse vellent, cum etiam de victis reperiantur? Lig. 15. Ego tibi aliquid de meis scriptis mittam; Att. I, 16, 18; de priore loco consentio, de altero non item.

Ceterum hoc quoque genus attributorum eis adnumerari oportet, quibus Latini frequentissime utebantur. Quapropter quod Kühnerus dicit (Ausf. Gramm. II p. 312): «Statt des partitiven Genitivs stehen «bisweilen» die Präpositionen ex und de cett.» mallem dixisset „nicht selten“ sive „häufig“.

3. Numerale „unus“, si Ciceronis et Cæsaris auctoritatem sequare, pro genitivo partitivo semper poscit usum præpositionis „ex“ aut „de“, nisi ei respondet alterum numerale vel pronomen, uti „alter“, „alius“, „tertius“, quod fit in enumerandis partibus classibusve rei universæ. De quo conferas quæ disseruit Kühnerus l. l. (De præpositione „ab“ a Cæsare cum eodem numerali coniuncta cf. adnotationem primam.)

4. Numerale „plerique“, cum proprie idem significet quod permulti (recht viele), substantivo, a quod pertinet, sæpissime eodem casu adicitur, rarius secum habet genitivum partitivum; eiusque loco interdum usurpatur præpositio cum substantivo. V. quem supra attuli locum De Orat. II, 25, 107; ex Sallustio (Bell. Jug. 29, 2) Kühnerus affert: «Plerisque ex factione eius corruptis».

5. De conlocatione attributorum huius generis ad ea quæ supra exposita sunt unum hoc addo: Interpositioni in hoc toto genere ne locus quidem relinquitur ullus, nisi attri-

---

1) Non magis huc pertinet quod Kühnerus ex Nepote affert (Ausf. Gr. II, p. 312) „Alterius factionis principes partim interfecerant, alios in exsilium eiecerant, in quibus Pelopidas pulsus patria carebat» (Nep. 16, 2, 4).

2) Etiam Seyffertus noster præfracte negat (p. 151 A. 1). — Inter has numerat Hænischius (II, p. 28), sed exempla non affert.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

butum pendet ex substantivis, quæ proprie dicuntur (quales sunt „pars", „homo", „gleba"), aut numeralia vel pronomina, servata adiectivi notione, cum substantivo iuncta sunt, ut his locis: Quandam ex his statuam; Verr. II, 150. Uno ex servis puero conscio; Cluent. 179.

## III. Attributa, quæ significant separationem, discessum, exitum qualemcumque, originem causamque.

Præpositiones in huius generis dictionibus usurpantur «ab», «de», «ex».

### 1. Ab.

a. Ponitur præpositio de separatione, discessu, deductione, de vacuitate, de locorum distantia et de discrimine aliquo; substantivum regens plerumque verbale est.

Sive hanc aberrationem a dolore delegerim; Att. XII, 38, 3. — Ex hac nimia nonnullorum alienatione a quibusdam hærent ea tela in re publica; Har. resp. 47. — Tuamque a me alienationem commendationem tibi ad cives impios fore putavisti; Phil. II, 1. — Levationem autem ægritudinis in duabus rebus ponit, avocatione a cogitanda molestia et revocatione ad centemplandas voluptates; Tusc. III, 15, 34. — Declinatio brevis a proposito; De Orat. III, 53, 205. — Istas tu partis potius quam a populo Romano defectionem vocas? Phil. XIII, 39. — Mihi tum periucunda fuit a proposita oratione digressio; De Orat. III, 53, 205. — Animi discessus a corpore non fit sine dolore; Tusc. I, 34, 82. Illud angit vel potius excruciat, discessus ab omnibus iis, quæ sunt bona in vita; ib. Post tuum a me discessum; Att I, 13, 2; Post tuum a me discessum; ib. III, 25. Tuum discessum a nobis; Fam. VII, 10. Iste tuus a me discessus; ib. VII, 18, 1. Cum ad me de Ciceronis abs te discessu scripsisses; Ep. Br. I, 14, 1. Discessum ab eius periculis ferre non potuit; ib I, 15, 5. Dissensio Zenonis a superioribus; Ac. I, 11, 42. — Veri a falso distinctio; Fin. I, 19, 64. — Mittam illa, fugam ab Urbe turpissimam, timidissimos in oppidis contiones; Att. VII, 21, 1. Iter a porta erat eiusmodi, ut . . . Sest. 131; cf. Planc. 96. — Bestiis autem et sensum et motum dedit et cum quodam appetitu accessum ad res salutares, a pestiferis recessum; N. D. II, 12, 34. — Cum eius a Brundisio crudelis et pestifer reditus timeretur; Phil. III, 3. Cum . . . pestiferum a Brundisio tum M. Antonii reditum timeremus; ib. IV, 3. — Ergo hac quoque ab ultimo repetitione supersedendum est; Cornif. II, 22, 34. — Revocationem a bello audire non possumus; Phil. XIII, 15. — Postea sui facti ab illa definitione separatio; De Inv. I, 18, 55. Inde vario sermone sex illa ab Dipylo stadia confecimus; Fin. V, 1, 1. — Quod ab ea urbe transmissio in Græciam laudabatur; Phil. I, 7. — Nullam tibi a caussis vacationem video dari; Leg. I, 4, 11. — Vacuitas ab angoribus; Off. I, 21, 3.

b. De loco et persona, unde aliquid sumitur, mittitur, datur, de domicilio et quocumque loco, in quo aliquis versatur aut cui aliquis desumptus videtur, de generis stirpe, de familia et disciplina, unde aliquis profectus est, denique de origine (Hand Turs. I, p. 16 et 19).

Panis et vinum a propola atque de cupa; Piso 67. Est etiam ibi Decius, ab illis, ut opinor, Muribus; Phil. XIII, 27. — A Pyrrho perfuga senatui est pollicitus; Off. I, 13, 40. Janitor: Quis tu? A Marco tabellarius; Phil. II, 77. — Nostri illi a Platone et Aristotele, moderati homines et temperati; Mur. 63. Academiam hanc ab Arcesila et Carneade recentem; Leg. I, 13, 39. Hanc ab Socrate adventiciam doctrinam adhibuerunt; Rep. III, 3, 5. Huc eodem refero quod

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

scriptum videmus Att. VI, 1, 1: Recentissimas a Cabystris te meas litteras habere ais, a. d. X Cal. Oct. datas. Nam quamquam additum est participium „datas", tamen verba „a Cabystris" ita sunt collocata, ut pro vero attributo debeant accipi. De aliis quibusdam singularibus atque dubiis huiusmodi locutionibus dicetur in adnotationibus.

c. Designat munus, cui servus aliquis præest (Hand. Turs. I p. 59).

Pollicem, servum a pedibus meum, Romam misi; Att. VIII, 5.

d. Ponitur de caussa.

Cum hæc ab servorum bello pericula . . . provisa sint; Verr. V, 8.

Addo exempla nominum urbium et tribuum, quæ casu ablativo sive locativo cum substantivis pro attributis iunguntur:

De illius Alexandria discessu nihil adhuc rumoris; Att. XI, 18, 1. Tantam spem attulerat exploratæ victoriæ tua præclara Mutina eruptio; Fam. XI, 14, 1. Qui vero Narbone reditus? Phil. II, 76. Quos homines? indidemne Ameria? Sen. Rosc. 57.

Inventum tamen esse fortem virum, ex eadem familia, Q. Verrem, Romulea; Verr. a. pr. 23; Ser. Sulpicius, Q. F., Lemonia, Rufus; Phil. IX, 17. Rupilius, P. F., Menenia; Fam. XIII, 9, 2. Sestius ab indice Cn. Nerio Pupinia . . . de ambitu est postulatus; Q. Fr. II, 3, 5.

**2. De.**

a. Præpositio significat locum, unde aliquid transfertur vel hauritur (Hand. Turs. II, 189).

Ipse autem socer in ore semper versus de Phœnissis habebat; Off. III, 21, 82. Versumque quendam de Philocteta paullo secus dixit; De Or. III, 35, 141. Hi poterunt omnes eadem illa de Andromacha deplorare; Tusc. III, 22, 53. Cui . . . . in ore semper erant illa de Iphigenia Achillis; Rep. I, 18, 30.

b. Ponitur in genere constituendo de gente vel classe vel gradu vel condicione. (H. Turs. II, 196.)

Atque eodem tempore accusator de plebe L. Caesulenus fuit; Brut. 34, 131. P. Junii erat, hominis de plebe Romana, filius; Verr. I, 151. Exsultabat gaudio persona de mimo, modo egens, repente dives; Phil. II, 65. Cum ei libellum malus poeta de populo subiecisset. Arch. 25. Fuit audiendus popa Licinius nescio qui de circo maximo; Milo 65. Quid? tu hunc de pompa, Quirini contubernalem, his nostris moderatis epistolis lætaturum putas? Att. XIII, 28, 3. Cuiusmodi istius de cohorte recuperatores existimati sint; Verr. III, 31. Hominum enim audietis de schola; De Orat. II, 7, 28.

Adde: Cuius quondam de patria discessus molestus omnibus . . . visus est; Post Red. in sen. 25. — Ambivium quendam, cauponem de via Latina, subornatis, Cluent. 63.

**3. Ex.**

a. Præpositio significat qualemcunque exitum ex aliquo loco vel ex aliqua re.

Quærite nunc vestigia, quibus exitus eorum ex illo loco compareant; Verr. V, 148. — Concursus ex agris; Piso 51. — Post eius ex Africa reditum; Phil. II, 71. Quid tam divinum autem, quam afflatus ex terra mentem ita movens . . . Div. II, 57, 117. — Partium distributio sæpe est infinitior tamquam rivorum e fonte deductio; Top. 8, 33.

b. Dicitur de patria, de terra aut civitate, in qua quis versari soleat, de generis stirpe, de familia et disciplina, unde quis sit profectus, de ordine vel loco vel conditione.

Qui secum eruditissimos homines ex Græcia palam semper habuerant; De Orat. II, 37, 154. Nam semper habuit exquisitos e Græcia magistros; Brut. 27, 103. Cum . . . paucos tecum Epicureos e Græcia compararet; N. D. I, 21, 58. A.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sosius, splendidus eques Romanus ex agro Piceno; ib. III, 30, 74. Quæ ... scripta nobis summi ex Græcia sapientissimique homines reliquerunt; Rep. I, 22, 35. Possum nominare ex agro Sabino rusticos Romanos; De Sen. 7, 24. Sunt enim multi optimi viri ..., præterea ex municipiis frequentes necessarii mei; Fam. IX, 14. Familiares habet Brutus tuus quosdam creditores Salaminiorum ex Cypro; Att. V, 21, 10. — Plurimi cives tota ex Italia; Flacc. 5. Civem Romanum e conventu Panhormitano; Verr. V, 140. Centum cives Romanos ex conventu Syracusano; ib. V, 140. Homines illius ordinis ex municipiis rusticanis; Sex. Rosc. 43. Homines rusticanos ex municipiis; Verr. I, 127. Homines Galli ex civitate male pacata; Cat. III, 22. Frumenti maximus numerus e Gallia, peditatus amplissimæ copiæ e Gallia, equites numero plurimi e Gallia; Font. 8. Legati ex Asia; Verr. I, 59. Negotiatorem ex Africa; ib. I, 14. Hosce ex urbe sicarios; Sex. Rosc. 74. Stipendiarios ex Africa, Sicilia, Sardinia, ceteris provinciis; Balb. 24. Quid dicant ex Sicilia testes; Verr. I, 154. Viri fortes .. sed nequaquam ex tam ampla neque tam ex nobili civitate; Verr. IV, 96. Ex præfectura Reatina complures delectos adolescentes; Cat. III, 5.

Ex filia nepos; Brut. 76, 263. Nepos ex filia; Rep. II, 18, 33. Aequalem fere meum ex Academia rhetorem nactus; De Orat. III, 20, 74. Finitores ex equestri loco ducentos; Leg. agr. II, 32. Gladiatores ex prætoris comitatu; Sest. 85. Quæ ex quoque ordine multitudo! Sulla 73. Tui ex cohorte recuperatores; Verr. III, 111. Ex amplissimo conlegio decemvirali sacerdotes; IV, 108. Ex cunctis ordinibus amplissimi viri; Milo 5. Ille ex compedibus; Rab. 20. — Ex cæno nescio qui atque ex tenebris tyrannus; Vat. 23. — Ille ex myrmillone dux, ex gladiatore imperator; Phil. III, 31. — Jam vero in Græcia multos habent ex hominibus deos; N. D. III, 30, 74. — Quid ait ex tragœdia princeps ille Argonautarum? Tusc. IV, 32, 68.

Præpositio cum substantivo suo ipsis nominibus propriis attributi loco subicitur his locis:

M. Crepereius ex acerrima illa equestri familia et disciplina, L. Cassius ex familia .. severissima, Verr. a. pr. 30. Valentinis, ex tam inlustri .. municipio, tantis de rebus nullum responsum dedisti; ib. V, 40. M. et P. Cottii .., ex agro Tauromenitano; ib. 165. Cæsenniam, eodem e municipio; Cæc. 10. Qualis vir M. Juventius Pedo fuit ex vetere illa iudicum disciplina; Cluent. 107. Ex eodem numero L. Cassius; Rab. 20. Ex eadem civitate T. Coponius; Balb. 53. C. Megaboccus ex Sardinia; Scaur. 40. Q. Vettius Vettianus, e Marsis, Brut. 46, 169. Aenigma Oppiorum ex Velia plane non intellego; Att. VII, 13, b.

c. Præpositio significat materiam, ex qua aliquid factum aut cui aliquid depromptum sit.

Supellectilem ex aere elegantiorem; Verr. II, 83. Erant signa ex aere complura; ib. II, 87. Signum ex aere; ib. IV, 96. Monile ex auro et gemmis; ib. IV, 39. Exponit ... pocula ex auro; ib. 62. De ceteris operibus ex auro et gemmis se non laborare; ib. 64. Erat etiam (vas vinarium) ex una gemma pergrandi trulla excavata; ib. 62. Ex marmore Iacchum ... aut ex aere Myronis buculam, ib. 135. Mensas Delphicas e marmore, crateras ex aere pulcherrimas; ib. 131. Vidistis simulacrum Cereris e marmore; ib. 109.

d. Designat præpositio denique rerum originem qualemcunque et caussam, ex qua aliquid prodire dicitur.

Flamma ex ipso incendio navium; Verr. V, 93. Ut ex eodem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

horreo (frumentum) decum anum probaretur; ib. III, 172. Illam ex ærario pecuniam; ib. III, 174. Neque ex portu neque ex decumis neque ex scriptura vectigal conservari potest; imp. Pomp. 15. Aurum, argentum ex præda, ex manubiis, ex coronario; Leg. agr. II, 59. Nullæ ad senatum e provincia litteræ, nulla ex trinis æstivis gratulatio; Piso 77. — Quæ tandem ista auguratio est ex passeribus? Div. II, 65. — Neque ex scholis cantilenam requirunt; De Orat. I, 23, 105. Quid nisi ex optimo more et sanctissima disciplina; Phil. 2, 62. — Novum quoddam monstrum ex illa immanitate, quæ in iisdem locis versata esse dicitur; Verr. V, 145. — Locos graves ex philosophia tractare. Parad. Procem. — Exspectant exempla ex vetere memoria, ex monumentis ac litteris; Verr. III, 209. — Nam illam quidem orationem ex commemoratione alienorum malorum ad malevolos consolandos esse accomodatam; Tusc. III, 25, 60. — Primus est locus ex coniugatione; Top. IX, 38. Deinceps est locus dialecticorum proprius ex consequentibus et antecedentibus et repugnantibus; ib. 53. cf. ib. 54, 56; De Inv. II, 176.

Cicatrices . . ex mulierum morsu; Verr. V, 32. Ut morbum metuant ex defatigatione membrorum; N. D. II, 23, 59; Quod igitur tum ex me doluisti, nunc ut duplicetur tuum ex me gaudium, præstabo; Brut. 97, 332. Illam Norbani seditionem ex luctu civium et ex Cæpionis odio . . . neque reprimi potuisse et iure esse conflatam? De Orat. II, 28, 124. — Inest in eadem explicatione naturæ insatiabilis quædam e cognoscendis rebus voluptas; Fin. IV, 5, 12. In hoc inest omnis animi contractio ex metu mortis; Tusc. I, 37, 90. Quemadmodum misericordia ægritudo est ex alterius rebus adversis, sic invidentia ægritudo est ex alterius rebus secundis; ib. III, 10, 21. Date parenti incredibilem dolorem ex salute, ex victoria liberum; Cluent. 200. Ubi eorum dolorem ex istius iniuriis non modo non maiorem, sed prope maiorem . . . esse cognovi; Verr. IV, 140.

Adnotationes ad hoc genus et reliqua aut proximo huius gymnasii programmate aut alio loco foras dabo.

Hagenau, F. Gilardone.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

horreo (frumentum) d . lll, 172. Illam ex ærario
pecuniam; ib. lll, 17 ex decumis neque ex
scriptura vectig . Aurum, argentum ex
præda, ex manubi 59. Nullæ ad senatum
e provincia litte s gratulatio; Piso 77. —
Quæ tandem ista augu . II, 65. — Neque ex scholis
cantilenam requi d nisi ex optimo more
et sanctissima di m quoddam monstrum
ex illa immanitat icitur; Verr. V, 145. — Locos
graves ex philos — Exspectant exempla ex
vetere memoria, s; Verr. lll, 209. — Nam illam
quidem oratione lienorum malorum ad
malevolos consolandos 50. — Primus est locus ex
coniugatione; Top. IX, 38 m proprius ex consequen-
tibus et antecede s; ib. 53. cf. ib. 54, 56; De
Inv. II, 176.

Cicatrices . V, 32. Ut morbum metuant
ex defatigatione Quod igitur tum ex me do-
luisti, nunc ut duplicetur estabo; Brut. 97, 332. Illam
Norbani seditio x Cæpionis odio . . .
neque reprimi potuisse et 28, 124. — Inest in eadem ex-
plicatione naturæ insat cendis rebus voluptas;
Fin. lV, 5, 12. In hoc i ex metu mortis; Tusc.
I, 37, 90. Quemadmodu x alterius rebus ad-
versis, sic invidentia rebus secundis; ib. lll,
10, 21. Date parenti k salute, ex victoria
liberum; Cluent. 200 stius iniuriis non modo
non maiorem, sed prope IV, 140.

Adnotationes ad uius gymnasii programmate aut
alio loco foras dabo.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf